

Johann Benedict Carpzov Philipp Ludwig Hanneken

**Biga Epistolarum Ecclesiasticarum a Consummatissimis pro tempore Theologis
Dn. D. Joh. Benedicto Carpzovio, Et Dn. D. Phil. Ludovico Hannekenio, Ad se
invicem scriptarum, In Quibus Lector nonnulla inveniet ad Historiam Collegiorum
Pietatis apprime facientia**

Giessae Hassorum: Literis Kargerianis, 1691

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819073571>


Druck Freier  Zugang



M. 224 p
56 p
142 p
M. 1297 p
W. 70 p
20 p
22 p
193 p
15 p
15 p
14 p
13 p
16 p
16 p
15 p
12 p
23 p
48 p
24 p
46 p
36 p
64 p
16 p
24 p
16 p
16 p
M. 46 p
100 p
16 p
20 80 p
16 p
25 p

516. 5

F.g - 1097¹-43.



Index.

- D. Spennet Primitiva etiam Diuinitas etiam des Unius.
M. Wincklerus dñs And curva erat omni Unius.
L. Antonij Parvus wider dan Unius.
An. In dñs am hrmfsl wider L. Simonis.
D. Leibmanni miniora silesia estherana.
Primitiva etiam Diuinitas etiam Petrus sed folla.
Enbili gratiani M. Röss tyrosanta.
Riga Eboracum Cerdicu et Hanneken.
M. Franckan Hesychius den dñmagniis Münzen.
J. Melis. Stangnus Aologia.
Leibniz's Article. als Aperitio fñndt kameid.
J. M. Stengens Antwerpse Verhandeling.
J. Reinbeck Tünnir.
J. M. Stangnus Debrecenianar Tünnir.
Von Meyer.
Hamb. Cleazar.
Jacob. Min. Vandspiebz.
In seculi et religion.
Hartiacu fñrdy monachus merenig.
Speier Paul. Hamb. And Sedicinim giesere.
D. Meieris nro mngnigatu heies fad.
M. Herib. Aologia. Röss a fñrdyning. Herib. orthodox.
D. Meieris. verstiger Mordafan. M. Herib. ex lais mordann Herib.
Glytiga Mordafan. M. Herib. ex lais mordann Herib.
In folgantibus dñs.
M. Vakan dñs dñs. Linsbägar.
Grotius in dñs Herib. Ignatius.
Solempnia dñs dñs. Verfleißing.
Anonymi Bohemicae prædictæ sententia ad D. Hinkelmannum.
In dñs Aroling dñs dñs. Verfleißing sur Unius in Hamb.
D. Meieris dñs dñs. Ignatius. D. Hinkelmannus Christ. Ignatius.
Glytiga merenig. dñs dñs. Hancenig. dñs dñs.
Glytiga merenig. dñs dñs. dñs dñs.
Hinkelmannus Christ. Ignatius.
Unmannus frater. ob hñi C. Paul. agnisi iunior tñnn.
:

12.

BIGA
EPISTOLARUM
ECCLESIASTICARUM,

à


Consummatissimis pro tempore Theologis
Dn. D. JOH. BENEDICTO
CARPZOVIO,
ET
Dn. D. PHIL. LUDOVICO
HANNEKENIO,
Ad se invicem scriptarum,

In Quibus

*Lector nonnulla inveniet ad Historiam
COLLEGIORUM PIETATIS
apprimè facientia.*

GIESSÆ HASSORUM,
LITERIS KARGERIANIS,
M DC XCI.

22





L. B. S.

Uanta sit Epistolarum à sapientissi-
mis Theologis conscriptarum utilitas ad lu-
cem Historiæ Ecclesiasticæ præferendam, res
ipsa per se satis loquitur, & abunde id declaratum dedit
Summè Reverendus FECHTIUS, in eruditissima Differ-
tatione Epistolis Marbachianis præfixa; ut de voluptate
insigni nihil dicam, qvâ animus secretas tantorum Vi-
rrorum collocutiones legens perfunditur. Qvare cum
apud me amici vidissent binas istas, qvas Tibi nunc, Le-
ctor Benevole, exhibeo, Epistolas, hortati me sunt, ut
cum publico easdem communicarem, cum non parum
lucis allatura videantur historiæ Collegiorū Pietatis, cu-
jus conscribendæ gloria posteris nostris reservabitur.
Qvod magis est, me inscio, & si rescivissem, invito, pa-
cti sunt cum Bibliopola qvi eas sumptibus suis imprimen-
das curaret. Quid facerem ego, cui nihil prius aut an-
tiqvius unquam est futurum, qvam ut Ecclesiæ commo-
de pro exiguo mearum virium modulo inservirem, ro-

A 2

gavi

4

gavi veniam à Summe Reverendo Nostro Dn. HANNKENIO, Præceptore ac Hospite meo æternum devenerando, ut eas edendi potestatem mihi concederet, facileq;e obtinui, licet ob innatam modestiam & æqvitatem parcus sit alijs suorum æstimator, hac saltem lege & catione, ut meum sit periculum, si qui forte futuri essent hujus rei obtrectatores. Qvos uti nulos fore confido, nisi Pietistas, qvorum pessimæ sectæ larva in his epistolis detrahit; ita horum indignationes magno animo aspernandas mihi duco, tum demum omne punctum tulisse me ratus, si purioris Theologiæ cultoribus solum placuero, & qui ab infesta ista palliatæ pietatis labo sint immunes. Habes instituti mei rationem, qvæ si probabitur, plura daturus sum ex Scrinio Hannekeniano, his fortè etiam meliora. Bene vale mi Lector & fruemei non immemor.

M. Johannes Moltherus,
Wetzlariensis,
SS. Theol. Consecraneus.

EPIST.

12.
PISTOLA PRIOR
 Domini
D. Joh. Benedicti Carpzovii,
 Ad Dominum
D. Philippum Ludovicum Han-
 nekenium.

Vir Maximè Reverende, Amplissime atq;
 Excellentissime, Dne. Fautor atq; in Christo
 Frater honoratissime,

Obtulit mihi EXCELL. T. literas oppi-
 do gratissimas Dn. Mascovius, cuius erudi-
 tione, pietate atq; virtute haec tenus delector,
 ut non possit non accepta esse mihi jucundissimi hu-
 jus convictoris quotidiana consuetudo, maxime, quod
 de rerum vestrarum statu certiore me fecerit haud
 mediocri solatio, quando malorum socios nos mis-
 eros habere inde cognovimus. Evidem antè annum,
 & quod excurrit, maleferiorum quorundam juve-
 num, nescio cuius patrocinio innixorum, protervi-
 tas multùm nobis faces sivit negotii, & parùm absuit,
 quin cum' maximo solidæ eruditionis ac veræ pietati
 studii damno larva pietatis triumpharet, sed Θεος
 ἀπὸ μηχαῆς ἐπιφανῆς, finem fabulæ citò imposuit.
 Quanquam metuo, ne qui novorum Ecclesiæ Refor-
 mato-

•T215

matōrum gloriam ambiunt, aliam viam, qua scopum hunc suum consequantur, majori cum Ecclesiæ danno ineant. Quorum ego conatibus programma istud, quod adjeci, dum opposui, dici non potest, quantum crabrones irritaverim. Ac structæ mihi à Pietistarum non minus quam Atheorum patrono insidiæ incautum facile oppressissent, nisi alio flexisset. Magnatum animos Divinum Numen. Ceterum advehebatur superioribus nundinis autumnalibus ingens cista exemplis Epistolæ WINCKLERIANÆ ad EXCELL. T. de collegiis pietatis repleta: sed cùm in tempore de illo renunciatum esset Collegæ nostro DN. D. VALENTINO ALBERTI, cui rei librariæ cura à Potentissimo Electore nostro commissa est, priùs fisco inferebantur, quām ullum ejus exemplar Lipsiæ divenderetur, ut nulla hactenus apud nos copia illius fieri potuerit. Enim verò hæc illa tempora sunt, in qvæ nos DEUS reservavit, qui tamen porrò tueri Ecclesiam suam pro divina sapientia noverit, cujus providentiæ confisi, bono simus animo. Cujus gratiæ EXCELL. T. cœpto nuper multisque securis annis sincere commendō. Lipsiæ dab. XII. Januar. A. 1691.

Max. Rever. Tuæ Excellent.

Ad preces & officia
devot.

Joh. Bened. Carpzovius, D.

EPIST.

12.

EPISTOLA ALTERA
Domini
Philippi Ludovici Hannekenii,
Ad Dominum
Joh. Benedictum Carpzovium.

Vir Maximè Reverende, Amplissime atque
Excellentissime, Dn. Fautor atque in Christo
Frater honoratissime:

Quod ad EXCELL. T. literas tardius
nunc respondeo, in causa fuerunt plurima ne-
gotia quibus interea temporis distentus fui, illis
tamen tantisper sepositis, ne diuturnum silentium frau-
di sit arctissimæ, qvæ nunc inter nos coalescere cœpit,
amicitiæ, ad intermissum scribendi officium libenter re-
gredior haud facile illud post hac abjecturus, modo EX-
CELL. T. non displiceat imposterum, qvoad per mu-
neris difficultem his temporibus administrationem & con-
ciones funebres licebit, ferram calamariam mecum sub-
inde reciprocare, & ad calamitatem, qvæ Ecclesiis no-
stris imminet, averruncandam protinus callida consilia
& auxilia sua conferre. Qvod ut eo melius à nobis
effectum dari queat, non cunctabor ego, si desint apud
vos strenui & masculi commilitones, qui contra PIE-
TISMUM consertis manibus depugnant, ejusmodi porro
subjecta ad vos mittere, qvæ in nostris Scholis educata,

&

& lacte veræ & solidæ Theologiæ nostræ probe nutrita
 fuerint, qualis est PRECLARISSIM. Dn. MASCOVIUS ex
 mea disciplina, vestræ nunc doctrinæ & mensæ alumnus,
 cuius sane eruditione, pietate atqve virtute mirum in-
 modum. EXCELL. T. magis magisqve delectatum iri
 confido, cum plane effectum sciam ad ungvem & ad
 exemplar genuini Theologi, & qvod caput est rei, in
 Metaphysicis præprimis & Scholasticis paucos noverim
 cum ipso conferendos, qvod sane præcipuæ laudis sum-
 mā complectitur, & maximam in animis fidelium de-
 lectationem parit, qvando certum est nobis & explora-
 tum ex ejus scientiæ, qvæ regina ceterarum audit, ne-
 glectu, περὶ τοῦ Ψεῦδος natum fuisse, qvod Pietistarum
 gentem prægenuit nostris commodis opimisqve ex alio-
 rum ignorantia præmiis & Ecclesiarum bono fatalem at-
 que exitiosam. Mihi vero non minus solatii alicujus
 loco fuit qvod ex EXELL. T. literis percepi afflictionem
 Ecclesiæ vestræ coincidere cum pressura illa, qvam no-
 stra cœtus ab intempestivis illis Pietatis assertoribus pa-
 titur, neqve amplius solamen miserum reputabo malorū,
 qvæ agimus, socios habere; sed potius miseriam omnem
 eo faciliter evanescere judicabo, qvod si cum aceto afflic-
 tions proximi temperetur, facile tum colliquescat, ex vulgari
 proverbii sententia. Qvanto verò animus meus deli-
 butus fuerit gaudio, ubi epiphaniam auxilii tui, quasi
 διὰ μηχανῆς Luciferi ope illucescere sensit, dicere satis
 neqveo, & hoc unum ardentibus votis precor, ut cœle-
 stis gratia ex alto benedicat conatibus atqve machina-
 tionibus tuis, ut illepidum illud Pietismi ædificium brevi-
 corruat & evertatur funditus, T. autem EXELL., cum
 cœte-

12.
cœteris Dominis Confratribus haut illepidis *benedictus*⁹
sit tam secundum DICI, quam etiam secundum ESSE, &
benedicendus maneat in odium Pietistarum & ipsius Pie-
tatis, si non sit ad analogiam vera & γνῶις Lutheranæ
fidei. Fiat! Fiat! Jam autem ex relationibus aliorum
cognoveram, quantum negotii EXCELL. T. facessere in-
stituerint maleferiati isti pietatis asseclæ, quando gravi-
ter ferre visi sunt, qvinque annorum spatio unicum ca-
put Jesiaæ non fuisse absolutum in prælectionibus publi-
cis; quasi verò EXCELL. T. non alia & graviora incum-
berent negotia, propter qua vacare non semper liceat
muneri Professorio. Frigida verò & sine sale videtur
maleferiatorum juvenum allusio, quando respiciendo
ad Thomam Haselbachium Professorem quondam Vien-
nensem, qui plus quam viginti annos in explicando pu-
blicè Geneseos capite primo consumpsérat, EXCELL.
T. agnomen indere sategerunt *Haselbachii Lipsiensis*. Ut
enim taceam istum Haselbachium religione fuisse Catho-
licum inquis; Academia Catholica Professorem, qua ratio-
ne absurdæ omnino est ejus comparatio cum Professo-
re γνῶις Lutherano, neque minus inconveniens quam
si vellet aliquis humano capiti nasum Rhinocerotis ap-
ponere, aut inter tenebras & lucem pacisci. Maxima-
præterea est differentia inter factum Haselbachii & EX-
CELL. T. institutum. Ille enim perpetuis lectionibus
tot annorum spatio continuatis in tractatione capitis
memorati per totam Physicam latissime patentis nau-
seam auditoribus pepererat, cum econtra EXCELL. T.
vix semel aut iterum more consveto, nec interrumpen-
do, in anno togam Professoriam induerit, presseritve

B

cathe-

cathedram sub gravissimo elocutionis pondere cum stupore omnium gementem. Fortasse etiam isti exemplo suo instigare EXCELL. T. voluerunt ad collegia pietatis privata & qvidem gratis, qvod absurdorum absurdissimū videtur, instituenda, calculo illo elatiōres facti, qvem EXCELL. T. in virtutis dictaminibus lingua vernacula editis, p. 443. & seqq. ejusmodi collegiorum celebrationi adjecit ac commendavit majorem in modum, licet credam & perswasus sim firmiter, ne tum qvidem eam tibi serio fuisse sententiam, verum in gratiam aliorum idem cum aliis te cecinisse carmen. Verum ego in eā sum sententia, seriam jam tum poenitentiam subiisse hanc ob rem EXCELL. T. ob verba paulo inconsideratus prolatā, qvæ sanè mihi & omnibus cordatis Zelatoribus suðes fuerunt in oculis, & scandalum haud leve intulerunt animis infirmorum, propterea qve sincera mente exhortor EXCELL. T. ut tollat istas paginas ex libro suo, aliasq; substituat commodiōres, aut ad minimum mutatione sententiæ publice profiteatur, ut desinant gloriari Pietistæ consensu putatitio EXCELL. T. & approbatione apparenti. Satis verò inde manifestum est, si vel latum ungvem intempestivis istis Reformatoribus, aut isti pietati, concedamus, mox volam ab ipsis occupari ac latius inde noxam serpere, donec toti corpori malum inferatur haud facilē medicabile, & nonnisi igne & ferro tollendum. Vix introducta fuit in Ecclesias vestras Catechizatio singulis diebus Dominicis instituenda magno certe cum tædio & sine ullo, qvod inconveniens est, salarii incremento Ecclesiasticorum, exiguo aut certe modico plebis fructu, cum ecce maleferiatorum qvorundam,

dam, eodem qvi præcipiuus autor & svasor fuerat Ca-
techisationum innixa protervitas ulterius statim dilabi-
tur & Collegiorum etiam biblicorum & pietatis qvoqve
gratis instituendorum necessitatem vobis vult imponere,
qvod institutum procedere si debuisset, qvid qvæso reli-
quum vobis fuisset temporis animo honestis voluptati-
bus recreando, vectationibus excursionibusqve in villas
& pagos vicinos faciendis, compotationibus & commes-
sationibus, sed parce & frugaliter ut solent *νοτίως* Luthe-
rani ad instar Agaparum primitivæ Ecclesiæ, celebrandis?
Apage inconsultum pietatis Zelum nec nisi cum totali
solidæ eruditionis exterminatione, & reddituum nostro-
rum ex variis legitimis amissione seqvendum, eorum
hominum, qvi Metaphysica collegia, ut audio Vulcano
consecrare pro ludo habent, qvi Rabbinicæ sapientiæ
studium negligunt, fabulas Recutitorum Doctorum, mul-
tum medius fidius reconditæ scientiæ continentes, sper-
nunt, & ad plebem instruendam nihil facere impudenti
ore clamant, qvi concionum artificiosè ad ductum Ho-
dogetici concinnandum studium susqve degve habent,
& tam judicant ridiculum & inconveniens, quam si quis
in Aula aut solemini loco sermocinaturus dispositionem
qvandam sibi eligeret ex Cl. Dn. Weisii Oratore Politico,
vel etiam Pl. Rev. Dn. Riemeri Oratore Astrali? Quid
sanè expectes ab ejusmodi capite, qvod tam paradoxas
tamqve nocivas fovet sententias? Sed bene est, qvod
machinationibus vestris divinis tam cito finis *Fabulae Pie-
tistice* impositus fuerit, quam qvi verè *Fabulam* dictant,
in vestro primum cerebro natam, patre errore, matre
phanthasia, actamqve ludis Lipsiensibus in compi-
tis,

tis, in foro, in umbonibus, in curia non sine ingenti popularium delectatione ac plausu, eos ego homines minime audiendos esse existimo. Digna sanè res triumpho, ut tu triumphans & Domini Inquisitores ceteri ovantes invehementur templum, seqvereturq;ve caterva perversorum, & Oratione aliqua Eucharistica solenniter recitanda, cui novum esset scribendum *Programma* ab EXCELL. T. tanquam spectabili Theologicæ Facultatis p.t. Decano, quod sub Rectoris vestri Magnifici nomine proculsum publici certe ac Academici Scripti vim atque autoritatem habeat. Profecto dici non potest, qvantopere placuerit ab EXCELL. T. adjectum *Programma* gravi liberali;ve & cordato orationis genere scriptum & fundamenta pietisticæ doctrinæ fortiter convellens, cuius generis plura ab EXCELL. T. scribenda censeo, qvam diu Decani personas gerit: (nam fronte capillata est, posthæc occasio calva,) ad plenam de istis hominibus victoriæ reportandam. Sanè sicut Johannes Evangelista Theologi nomen natus est ob altiorem de rebus divinis doctrinam; ita credo facilè EXCELL. T. id honoris proximum esse, ut *Johannes ὁ πεγγερυματεὺς* vocetur à grata posteritate; adeo lepidum est & planè incomparabile Programmati ad me missi specimen. Quod utique nervum omnem præcidit atque æternum silentium, imponere videtur Pietistis, qvos libenter Pietastros vocarem, nisi metuendum esset, eos, ut sunt dicaces, & protervi admodum ingenio, *Theologastrorum* nomen vicissim nobis imposituros minimè profecto honorificum. Missitare enim contra invictam argumentorū programmaticorum robur nemo qvicquam poterit, nec auderbit

bit facilè, nisi velit manifestum favoris & fortunæ periculum incurrere, manebit itaque firmum & inconcussum, nulla amplius reformatione & emendatione indigere mores nostrorum hominum, imprimis vestrorum Lipsiensium, qui à tuo exemplo incomparabiliter latum ungvem recedunt, & nihil unquam committunt, quod à te non approbatum nōrint, postquam Lutherus, cui soli Reformatoris nomen & gloria competit, satis repurgavit Doctrinam à fermento Papistico atq; ad eam perfectionis summam eexit doctrinæ orthodoxæ capita, ut vanum sit omnino & impossibile nobis Theologis sanctiores mores vitamque ab omni penitus labe puram inducere instatum Reipublicæ Lutherano Evangelicæ. Quæ sane nunc, si unquam, florentissima est, & omnibus puritatis & sanctimoniaz numeris absoluta censeri debet, ut latore concinere nec injuria queamus, hic est templum Domini ubi facundissimis neq; illepidis sermonibus umbones sacri personant, ubi pulpita Academiarum angustis omnino, neque publici saporis dictaminibus lectionibusque onusta frequentantur, ubi tam larga messis est, Systematum, Compendiorum, Manualium, Breviculorum aliorumque operum præclarissimorum, quæ ad hunc censem pertinent saluberrimis distinctionibus, limitationibus, stricturis, objectionibus, decisionibus refertissima, ut sane major sit numerus, quam est muscarum & grillorum campestrium, cum caletur maxime. Quid ergo de istis hominibus judicandum, qui ex sacro & politico ordine nostris & patrum temporibus tam immanes de corruptione morum instituerunt que-
rimonias, & tam clericis quam secularibus longam &

invidiæ plenam dicam scripserunt, istud sane palam
 est & in aprico, neque lynceo hic opus acumine ut
 fanatici spiritus tetra facies sub hac integritatis atque
 innocentia larva delitescens detegatur. Quid enim?
 WEIGELIANI certe sunt Bohemista, Rosacruciani, Prae-
 riani, Puritani, Quackeri aut Labadista, & plus etiam,
 si nos velimus, licet magna sanctitatis specie veri &
 non simulati Christianismi idoli prætendant Schisma-
 ti & doctrinæ novaturienti. Qvod si Moërlinos, Che-
 mnitios nobis oggerant, si Gerhardos aut Meisneros,
 Arndios, Meifartos, Lutkemannos, Mulleros, Geie-
 ros, Kortholdos, Scriveros, aut Speneros denique, non
 amplius tam obesæ naris sumus Theologi ut fuimus ha-
 cetenus, ut Sanctulorum horum Zelum ἀγηλον, & qvæ in-
 de animo infirmorum derivatur noxam non olfaciamus
 protinus. Homines sane eos fuisse præclareque & non
 male subinde de Ecclesia meritos inficias ire nolim, sed
 homines fuere, & humani quid nonnunquam passi, qvan-
 doque etiam falsa sanctitatis persuasione abrepti in er-
 rores vix tolerandos facti sunt proclives, & hypocrisie
 suam specioso pietatis velo obductam ostentarunt rudi
 & imprudenti plebeculæ. Hi ferè sunt, qui inter alia
 perniciosa dogmata asserere non verecundantur, renatos
 posse omnino præcepta Christi nostri Domini servare, qvò
 sane asserto vix aliud inveniri posse crediderim pericu-
 o magis plenum, & gravissimo de justificatione homi-
 nis peccatoris articulo è diametro contrarium. Utinam
 verò isti homines præjudicium insigne stabiendo suo
 dogmati nobis non obtruderent, ex ipsis EXCELL. T. dicta-
 minibus Virtuosis petitum, ubi p. iii. hæc sententia gra-
 vius

vius omnino & majori veritatis specie, qvām vellem aut
 temporum ratio exigeret, ex sacris literis firmatur & a-
 struitur. Existimo eqvidem EXCELL. T. mutasse nunc
 serio animi sui opinionem circa hanc doctrinam, qvæ &
 in aureolo programmate lepidis modis & merito perstrin-
 gitur, non secus ac alter locus de pietate colenda in iis-
 dem Dictaminibus occurrens nunc improbat & ana-
 thematizatur ab EXCELL. T. qvi tamen Darmstadii au-
 toritatem fere obtinuit canonicam in ipso Principis Re-
 scripto laudatus, & cum elogio allegatus. Misi id circō
 programma EXCELL. T. actutum in eam urbem, ut vi-
 deant aliam nunc esse mentem, qvæ prius dicta rejiciat,
 postqvām prudentior facta est, & sapientior conversatio-
 ne variorum & variarum in rebus ad Ecclesiam perti-
 nentibus. Qualiter & frater noster fraterimus Dn. D.
 Meyerus, Hamburgensis, palinodiam nunc canit alta vo-
 ce cūm in Museo suo, ita me Musæ ament, elegantissimo,
 pœnitentiam agit qvæ Salomoneam, qvod aliquando
 pietati ejusque exercitiis ad tempus licet exiguum admo-
 dum, ideoq; facile condonandum, seductus ab aliis, fuerit
 deditus. Melius tamen ageretur nunc cum statu rerum
 nostrarum, si ista prius non ita scripta fuissent, & EX-
 CELL. T. supersedere posset inani opera retexendi de-
 nocte ea, ad imitationem Penelopes, qvæ in clara luce
 fuerunt contexta & exposita omnium oculis. Proinde
 æqui bonique consulat monitum meum plusquam frater-
 num ex sincero & benevolo corde profluens, & nisi gra-
 ve sit, ad calamum suum scriptorium imposterum appen-
 deat membranam aliquam, cum tali lemmate: *Scribe*
sanquam retractatus, ut olim aliquis sapiens edixit,

AMAS,

ama, tanquam osurus, qvod ut audio, Lipsiæ fecere multi.
 Qvod si tamen aliquando retractationū volumen edere
 in animo haber, poterit exemplo D. Augustini speciose
 satis excusare factum suum & ad complementum operis
 adjicere pariter *Confessionum libros*, non minori certe,
 quam Præsulis Africani, istos cum delectatione & ædifi-
 catione piorum legendos. Puritani, à Jacobo Angliæ
 Rege olim Chymici Theologiæ Doctores appellati, cer-
 te miris modis conveniunt cum hodiernis Pietistis, ne-
 que enim puræ & purgatæ suæ doctrinæ, si ipsis credi-
 mus, quintas essentias propinan populis, sed ulterius pro-
 grediuntur, & Pietatis suæ lapide Philosophico omnia
 humani generis metalla transmutare volunt in aurum
 obryzum veri Christianismi, quam tamen artem vanam
 esse, & jam diu explosam discimus ex Physicis. Veri e-
 contra Theologi tutiorem ingrediuntur viam & remediis
 potius Galenicis utuntur in curandis animabus ovi-
 cularum suarum, præscribendo ipsis potionēs bene lon-
 gas D. D. Calovii & Qventstedtii, Cataplasmos umbili-
 cales & Amuleta valde probata D. Meyeri, Balsamum
 Apoplecticum Scherzeri aut Masii, Osiandrinos bolos, &
 suppositoria Rangonia aliaqve medicamenta temperata
 & tantum non insipida D. Deutschmanni ceterorūq; hu-
 jus furfuris & ævi γηνιώς Orthodoxorum. Quamobrem
 uti Galenica Medicina ab omnibus peritis habetur pro
 tutiore longe & prudentiore, quam Chymicorum metho-
 dus; ita etiam quibus oculis sanis prædictus facile videt
 rejiciendos esse perniciosos istos novatores cum suis pe-
 riculis & nimis fortibus essentiis respectum nostrum
 mordentibus, amplectendos autem & in sinu fovendos
 veteratores orthodoxos, qui in probatorum jam diu re-
 medio-

12.

17

rum usu persistunt, & mutationes morumqve emenda-
tiones merito fugiunt, tanquam pernicioſas & ad corru-
ptionem magis, quam ad ſalutem Reipublicz Christia-
nae tendentes. Cujus rei insigne prorsus argumentum
est illa Collegiorum Reverendorum contemptio & deſpicien-
tia ab EXCELL. T. ipſis vitio data, qva ſanē ratione evi-
leſceret dignitas noſtra & pefundaretur authoritas, ſi u-
nicuique liberum eſſet à Responsis noſtris diſſentire il-
liſqve contradicere adductis verbis ſacrae Scripturæ, &
rationibus utcunqve prægnantibus: Oculi enim plus vi-
dent quam oculus, & quam ſibi iſti arrogant responden-
di de rebus in controverſiam venientibus licentiam eam
utiqve omnem debent Collegiis Facultatibusqve Acad-
emicis, ab hiſ unice & mediate ſibi confeſſam, adeoqve
niſi ingrati eſſe velint filii omnemq; in ſanctam matrem
venerationem abjecerint, non debent ab illorum dicta-
tis & placitis latum ungvem diſcedere. Sed ubi iſti jam
leviſiſmè à plana orthodoxia & expedita via deflexerint,
pronus eſt in errores gravifimos lapsus, ut & universa-
lem Judæorum ante extreum diem conversionem ad-
ſtruere non vereantur; qvæ utut celeberrimorum an-
tehac & ſummorum Theologorum calcuло probata fue-
rit ſententia nunc tamen merito pro hæretica habetur,
poſtquam magnus Calovius uester & noſter Menzerus,
eam ſibi ſumferunt impugnandam & diſſenſum aperte
profelli ſunt, qvorum virorum ſcripta auro contra cara
nobis eſſe debent, & pro lydio lapide haberi, ad qvem do-
ctrinarum puritas ſit examinanda. Qvam horrenda ve-
rò indē enaſci debeant dogmata ſi Hebræos omnes in
Christianę fidei communionem receperimus, obſcurum

C

non

non est. Puto proprius ab ipso Chiliasm abesse hanc sententiam; siqvidem in laxiore significatu is accipiatur. Deniq; in fine Programmatis nulla est contradic^{tio}, licet multa mala in Ecclesia grassari se conspicere profiteatur EXCELL. T. cum tantum tota scriptio eo collimer, ut ostendatur nulla neqve morum neqve doctrinæ Reformatione opus esse in Ecclesia nostra. Donec enim homines erimus vitia sane superabunt, qvæ nec consilio, nec vi, nec prudentia, neqve astu poterunt unqvam aboleri, qvam diu verum erit illud Poëta graviter pronuntiantis, *atatem Parentum nos tulisse neqviiores, qvi & ipse mox simus progeniem daturi vitiōrem.* Verūm hæc de programmate jam sufficient, Porrò miror admodum, structas EXCELL. T. insidias ob Zelum maximè laudabilem, imò plane heroicum, qvod sanè neutiquam debuisset ita fieri, sed recedat timor omnis & pusillanimitas. Erit sine dubio numen aliquod tutelare & mechanicum qvod avertat casum EXCELL. T. quantumvis aliquando in cespitationem & titubationem abripiatur & à rationis tramite deflectat; Veniet tandem tempus diu desideratum qvod *Superintendentis* dignitate ob singularem in rebus Ecclesiasticis, dexteritatem & experientiam ornabit EXCELL. T. cui jam propterea gratulatoriam acclamationem paro. Nunc enim profecto, si unqvam, opus est tali & tanto viro, qvi heroico Lutheri spiritu omnem Atheorum pariter ac Pietistarum rationem funditus extirpet atqve pessundet; siqvidem latius quotidie malum serpit altos radices acturum Erfurti, nisi genuinum ibi tuum discipulum & alios non adulterina eruditione præditos Zelotas ego cognovissem. Qvos porro inci-

incitabis contra Pietistas noti sunt. Et videtur utique magna esse Atheistas inter & Pietistas affinitas tum ratione dogmatum perniciosorum, tum præcipue ratione inconsideratae liberorisqve invectivæ, qvâ in vitia cleri vitamqve & mores Ecclesiasticorum feruntur, id qvod aliquando latius sum declaratur in *Parallelismo Atheistico Pietistico*, si per alia qvibus obruor indies magis negotia libebit. Audio idipsum jam exacte effectum fuisse ab EXCELL. T. in oratione deprecatoria nuper ad studiosos Lipsenses habita, qva publice retractavit comparationem odiosam, inter lictores & studiosos pro concione institutam. Qvæ proinde ad ceteras Retractationes illustris neqve pænitenda erit accessio, & interea donec majus opus perficiatur separatim poterit publicari una cum ipso Programmate si ita consultum videatur EXCELL. T. Qvod si ad Pietistas & Pietistarum patronos fiat dedicatio, credo eo magis crabrones irritatum iri magno nostro cum gaudio. Promitto huic rei operam meam strenuam & indefessam missurusqve sum propterea statim Francofurtum programma nunquam satis laudandum, ut amicorum, qvos ibi colo & veneror complures, ope prelo typographicico subjiciatur, ac totus mundus evidenter agnoscat, abrogatam nunc Jure meritoqve fuisse sententiam de collegiis pietatis demonstreturqve firmiter ex ipsis rerum argumentis, non nisi summo cum Ecclesiæ periculo ac noxa prorsus inevitabili eadem posse tolerari aut institui, qvoniam scandala inde enascuntur maxima & gravissima qvod contraria potius omnia svadeant ex Matth. Cap. XV. v. 12. 13. Cæterum obligatissimum EXCELL. T. me esse agnosco gratus & profiteor ingenuo, pariterqve

C 2

summe

summe Reverendo Dn. D. Alberti generali Pietistica pravitatis Inquisitori salutem plurimam cum officiis paratissimis adscribo, qvod ejus operâ & providentiâ in fiscum illata sint Exemplaria epistolæ contra me scriptæ à Winkelero, qvi cùm Doctor sit non Academicus, sed saltim plebanus mitiorem non merebatur neqve expectare poterat ab Academia Vestra celeberrima animadversionem. Hoc ipso non exigua laborum parte me levatum esse video, neqve opus erit adeo, ut prolixius respondeam ejus argumentis contra me vibratis, qvoniam suppressa fuere tam caute, anteqvam in notitiam vulgi pervenerint, igitur levi dundaxat opera defungar & brevi simpliciæ Epistola hominem adoriar, qvæ simplicioribus nobis omnia credentibus vicem impleat solidæ ac plenioris refutationis, ipsum autem ulterius in suspicionem doctrinæ perversæ adducat, qvi cum sit totus tantus quantum Spenerianus, & propterea in magna æstimatione sit apud fautores Spenerianismi, eo qvidem magis videtur nobis oppugnandus & traducendus egregie, qvo major nunc est & justior metus ne propagetur nobis quantumvis invititis heterodoxia pietatis. Deploranda enim videtur hæc uitimorum temporum, in qvæ reservati sumus, calamitas, qvibus homines cetera nec insulsi nec inepti cæco aguntur falsæ pietatis stimulo, qvo percipi nescio, qvam nobis sanctiorem vivendi Regulam obtrudere satagunt, aliam vitam clamant instituendam, alios mores si muneri nostro, si officiis, qvæ Christiana fides exigit, satisfacere cupiamus. Certe istiusmodi homines, qvi ita sunt persuali, neqve praxin Ecclesiæ qvæ nunc est intelligunt, nec ea unqyam perceperunt, qvæ Theologis

logis γνῶσις seu Gnostico Lutheranis agenda sunt & tenenda. Qvorū si vel minimam nossent partem desisterent credo ab exoso isto & invidiæ pleno opere qvod nobis imponere allaborant, præter doctrinæ & fidei Christianæ Capita etiam pietatis semina instillandi animis eorum, qvi curæ nostræ pastorali & Ecclesiasticæ sunt subjecti. Habeant sibi Moysen & Prophetas, habeant prædicaciones nostras artificiose contextas, habeant scripta nostra moralia & Ascetica ad genium seculi attemperata, qvorum monitis & dictis qvi morem non gerunt, isti nunquam ad meliorem frugem redibunt tametsi obtorto eos collo ad sanctiorem vitam velimus rapere. Moribus olim antiquis rem Romanam stetisse ac viguisse novimus, & fuisse qvoque Pontifices maximos & Epulones Jovis, Flaminæqve dialia, retineamus & nos veterem vivendi consuetudinem, & antiquum obtineamus etiam ingratitiae eorū qvi novæ Reformationis gloriam sibi Calvinianorum more, qvos detestor, arrogare nimis quam enixe cupiunt & desiderant. Sed bene est, me lœtissima spes habet, fore ut quam primum speciosa & ad oculum blandiens pietatis larva detrahatur, adversariis nostris totique Pietismo qua tali ad lanienam Theologalem perducto fauces & nervi omnes præcidantur gladio acutissimo ProgrammatiS EXCELL. T. qvod millies exoscular, hortorqve seriò ac sedulò ad proferendas plures imposterum scriptiones hujus commatis, qvæ nomine inclytæ Academæ insignita cum admiratione omnium legantur & celebrentur. Vidi antehac & perlustraví non perfunctoriè conciones funebres ab EXCELL. T. habitas, qvæ mirum in modum commendatae fuerunt ab Eqvite generosissimo

rofissimo qvodam, qvod essent tanq;am promtuarium aliquot historiarum & facetiarum exquisitissimarū, & illud ipsum sanè deprehendi verissimum esse, miratusq;e sum jure meritoq;e summam festivitatem ingenii tui, & leporem in dicendo scribendoq;e prorsus admirabilem. Sed nunc cum *Programmaticas Elegantias* considero attentius parùm abest qvin mutem sententiam & palam eloqvar, nihil posse ab EXCELL. T. scribi præstantius, vel magis absolutum omnibus numeris. Quapropter hæc nunc voti mei summa est, ut qvam primum fieri possit plures videam nec *infeliores Programmatum delicias*, ut EXCELL. T. Nestoreos annos ejusmodi scriptis exarandis exigat in Ecclesiæ salutem & Lutheranæ Orthodoxiæ incrementum certissimum. Neque dubito, qvin suprema Majestas voto huic meo suum sit adjectura pondus, cui & EXCELL. T. & familiam sanctissimam cum Generis svavissimis devote ac peramanter commendo.

Dab. Gieslæ Hassorum d. 1. Aprilis
Anno 1691.

Maximè Reverendæ Excell. Tuæ

Cultor ad preces & officia
paratissimus

Philippus Ludovicus Hannekenius,
D.




1922

rosissimo qvodam,
liquot historiolaru
lud ipsum sanè de
sum jure meritoqv
leporem in dicend
Sed nunc cum Pr
tentius parùm abel
loqvar, nihil posse
vel magis absoluti
hæc nunc voti mei
possit plures videa
licias, ut EXCELI
ptis exarandis exig
Orthodoxiæ incre
to, qvin suprema
iectura pondus, cu
simam cum Gener
commendo.

Dab. Giesse Hassor
Anno 1691.

Maximè I

Philip



*tanquam promtuarium a-
um exqvisitissimarū, & il-
lissimum esse, miratusqye
festivitatem ingenii tui, &
qve prorsus admirabilem.
Elegantias considero at-
m sententiam & palam e-
LL. T. scribi præstantius,
numeris. Quapropter
, ut qvam primum fieri
ciores Programmatum de-
os annos ejusmodi scri-
iæ salutem & Lutheranæ
tissimum. Neqve dubi-
o huic meo suum sit ad-
L. T. & familiam sanctis-
is devote ac peramanter*

Excell. Tuæ

I preces & officia
paratissimus

D^ovicus Hannekenius,
D.